

Cap. IV. 12. ? ubi *Lutherus* hanc posuit versionem : Und ihre übrigen vergehen / und sterben auch unversehens. Celeberr. vero, *D. Franc. Jul. Lütkenius* egregie ostendit ( conf. 7. letzte Cölnische Montags Predigten von der Seeligf. Conc. I. per tot. it. *Schmid.* ad h. l. ) verba proprie ita sonare : Ist nicht ihre Herrlichkeit in ihnen weggenommen / sie sterben / und nicht in der Weisheit. Adeoque novitatum ridicularum quondam promus condus *Isaac. Peyrerius* gravissime erravit, dum imaginem divinam in mirabili tantum hominis creatione ac formatione constituisse ( In System. sui Libr. I. ) asserere nullus dubitavit. Quam denique illustre PROVIDENTIÆ DIVINÆ exemplum totus liber Jobi præstet, evidenter aperuit *Dn. Jurieu* l. c. p. 21.

§. IV. Sicco hac vice præteribo pede multa alia fidei nostræ fundamenta, egregie in aureo illo libro oppido collocata. Conf. *B. Hinckelm.* Diss. Inaug. sub Præsid. *D. Kortb. de Theol. Jobi.* Memor sum præfixi mei scopi, adeoque unicum hoc indicasse sufficiat, quod summa cum *εὐβαρεῖ* DIVINUM VERBUM, ejusdemque studiosissima observatio in illo libro commendetur, præprimis Cap. XXIII. 12. Cum vero jamdiu mihi proposuerim, periclitandi quoad antenus vires meas in disputatione quadam, proprio Marte elaboranda, antequam hanc Academiam, Nutricem meam per aliquot annos sat benignam, cum alio loco commutarem : Hinc animi propositum cum *Dn. Præside* meo, Patrono atque Evergeta ad urnam usque, Parentis instar dilectissimi, devenerando, suspiciendo, colendo, communicavi; qui cum minime mentem meam revocaret, potius Autor Svasorque existeret, ut præsentem Jobi locum, sine commoda interpretatione, in Lutheri versione alioquin durius sonantem, publicæ ventilationi subjicerem; Hilari nunc fronte ipsius voluntatem, quæ mihi semper instar mandati erit, exequi paratus sum, & licet totum hoc negotium in duas dispescere sectiones constitueram, quarum